



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Declaratio literalis illius Cant. Introduxit me rex in cellaria sua. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

& à summo virtice vsque ad plantam pedis, sine tentatione nihil vacat in ipsis. Nam modò iubentur exteriora, modò compelluntur ad sui custodiam introire; nunc huc illucq; discurre-re, nunc etiam quieti insistere; modò paulo plus vigilare, & paulo pòst vigilias nequaquam protrahere: nunc quodlibet protinus abiicere, nunc quod horrent, sine mora perficere. Si est ali-quod genus supplicij, quod martyres facit; tunc maximè illi martyres fiunt, qui toties verbo Dei, tanquam gladio submissi plestuntur; quoties sibi ipsis per obedientiam moriuntur. O quam sublimiter de talibus filiis gloriari potest sponsa Christi mater ecclesia dicens: Manus meę distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Martyrij  
species  
quædam  
est sibi to-  
ties per  
obedien-  
tiam mori

§. 3. *Declaratio literalis, Introduxit me rex in cellaria sua.*

**A**ccipe & aliud verbum ex ore Sponsi, aptum ministerio tuo, quod etiam priùs putabam inducere ad consolationem: sed præuenit me Deus quasi nescienter, docens me primùm debere mihi metipsum interius mori, antequam dignè possem aliis foris deseruire. Vtputa si adhuc impatiens in paruis lęsionibus esse, qualiter tunc aliorum infirmitates bene sustinerem. Et si adhuc superbus esset animus meus, quomodo portarem sine murmure murmuraciones, sine contradictione detractiones, & indisciplinatorum mores. Constat namque quòd patientia & humilitas, summè necessaria sunt ministrantibus. Est autem intentum verbum istud, quod sponsa cum multa etiam iucunditate loquitur, dicens: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Habeat ipsa intellectum huius verbi, in ministerio Christi absconditum. Tu æstima apud te magnum, si inueniatur etiam in te per opus ali-quod extrinsecum, æquè ipsi gratum. Nam si hoc ipsum verbū (*Introduxit me rex, &c.*) traxerit quis ad boni cellarii officium, inueniet utique plenum sensum & perfectum, intus sapidum, & foris non otiosum.

Patientia &  
humilitas  
in Officiis  
cum pri-  
mis neces-  
saria.

Cant. I.

§. 4. *Qualiter teipsum consolaberis in Christo.*

**P**ropterea libenter & perseveranter age, quod agis, & quodã mentali gaudio vtere in opere tuo, retinens apud te verbum suauitate plenum; *Introduxit me rex in cellaria sua.* Hæc est enim voluntas Patris tui, qui in celis est, & eius qui in terris; ut ita facias, sicut ordinatum est tibi. Nam potes coram iudicantibus te confidenter protestari, quia non ego ipse introduxi me, sed introduxit me rex in cellaria sua: Deus rex cæli & terræ, maris & omnium quę in eis sunt, rex magnus super omnes reges: qui cuncta sapienter regit, quę potenter creauit: rex potens, rex cle-

Explicatio  
paraphra-  
stica huius  
ex Cantico  
sponsæ: In-  
troduxit  
me rex, &c.  
iuxta lite-  
ram &  
spiritum.